



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 783/14/I

BEATISSIME PATER,

Franciscus Xaverius Martínez Fernández, Archiepiscopus Metropolita Granatensis, suas libenter faciens preces Communitatis Dominarum a Commenda Sancti Iacobi ac Fratris Maioris Confraternitatis ab Oratione Nostri Domini in Oliveto, D. Emmanuelis Cañavate Carmona, Sanctitati Tuae refert proximo anno, in Regio praefatarum Monialium Monasterio, sub tit. Matris Dei, canonice impositum iri auream coronam antiquae, venerabili, sacrae imagini Mariae Ss.mae ab Afflictione, Granatensi populi percarae. Ad hunc felicem eventum rite celebrandum, a die I Ianuarii usque ad diem XXVII Decembris MMXV peculiare ibi habebuntur sacrae functiones et varia marialis devotionis fovendae ac doctrinae tradendae incepta, eo intento fine ut christifideles, pietatem erga Deiparam Virginem colentes, proprios mores secundum viam Evangelii impensius efforment. Quo autem abundantius fidelibus, qui dictis celebrationibus intererunt, divinae gratiae Thesaurus aperiat, Exc.mus Orator Indulgentiarum donum a Sanctitate Tua fiducialiter implorat. Et Deus, etc.


Die XV Decembris MMXIV


PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de speciali mandato Ss.mi Patris Francisci, *Marianum* libenter concedit *Annum Sanctum* cum adnexa *plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) christifidelibus vere paenitentibus et caritate compulsis lucranda si, unito corde cum spiritalibus finibus Anni vitae consecratae, Granatensem ecclesiam conventualem Dominarum a Commenda Sancti Iacobi in forma peregrinationis inviserint et ibi alicui sacrae functioni vel pio exercitio in honorem Mariae Ss.mae ab Afflictione interfuerint vel saltem, coram eiusdem imagine sollemniter exposita, saltem per congruum temporis spatium devotas effuderint preces pro fidelitate Granatensis populi ad christianam vocationem, pro sacerdotalibus ac religiosis impetrandis vocationibus et pro defendendo humanae familiae instituto, concludendum Oratione Dominica, Symbolo Fidei et invocationibus Beatissimae Virginis Mariae.

Senes, infirmi, omnes qui gravi causa domo exire nequeunt, *plenariam* lucrari valebunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi ubi primum licuerit tres consuetas condiciones, si celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, coram parva imagine caelestis Patronae, precibus ac doloribus suis vel incommodis propriae vitae Deo per Mariam fiducialiter oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut Monasterii Cappellanus, una cum sacerdotibus legitime adprobatis, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeat ac Sanctam Communionem infirmis saepe ministret.

Praesenti totum per Annum Sanctum Marianum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.


MAURUS S. R. E. Card. PIACCENZA
Paenitentarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens